



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

CXVIII. Markgraf Ludwig verleiht die Münze in Stendal auf 15 Jahre an
Bürger daselbst, am 24. August 133.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

dictum Altare jus integrum maneat presentandi. Datum Stendal, Anno domini M^o. CCC^o. XXX., dominica, qua cantatur Cantate, post pascha.

Nach dem Original im Besitz der Petrikirche.

CXVIII. Markgraf Ludwig verleiht die Münze in Stendal auf 15 Jahre an Bürger daselbst, am 24. August 1333.

Anno M^o. CCC^o. Tricesimo tercio, in die B. Bartholomei, contulimus discretis viris Ade de Grabowe, Arnoldo Billenwerde, Johanni de Letzeke, ciuibus nostris in Stendal, eorumque veris heredibus medietatem monete nostre in Stendal a tempore quo expirabit terminus Valkonis, cuius ibidem, per quindecim annos continuos in antea subsequentes habendam, gubernandam, quiete et pacifice possidendam, Cuius falconis terminus expirabit in die beati Georii nunc proxima, ad vndecim annos. Et ipsi predictam monetam seruabunt et regent, prout per ceteros monetarios hactenus est seruatum, Ita quod quevis marca subsistat pura et alba licet in ipsa vnus lotum et IIII denarii deficiant et quod XXVIII solidi denariorum Brandenburgensium cum IIII denariis debent marcam in pondere continere. Cumque antiqui denarii prohibentur, extunc per circulum illius anni nullus debet emere cum denariis antiquis, sed cum denariis nouis, qui noui denarii exire debent octauo die ante festum beati Jacobi. Si vero denariis dictorum monetariorum varam decreuerimus adhibere, hoc nusquam licebit, nisi in eorum fabrica vel in capforum assere eorundem. Et si alibi quam apud dictos monetarios vel eorum capfores falsi vel non datui denarii inuenirentur, pro huiusmodi excessibus iam dicti nostri monetarii non tenebuntur vllatenus respondere, et si forte vnus excefferit in moneta, hic solus illum excessum secundum gratiam emendabit et innocentes erunt alii et indempnes. Preterea districte inhibemus, ut nullus audeat denarios in terra nostra antiqua Marchia comburendo purificare aut examinare ad ulationem argentum aut cambire denarios, nisi de predictorum monetariorum nostrorum certa scientia et voluntate, sed solummodo aurifabri poterunt comburere argentum pro necessitate sui operis et non magis. Insuper si aliquem ex dictis monetariis medio tempore vel ante tempus mori contigerit, tunc heredibus suis vel amicis suis propinquioribus, si heredes non fuerint, firma tenere debebimus hec omnia prenotata. Inhibemus etiam sub pena rerum et corporis, ne quis cristianus vel iudeus denarios graues aut leues eliciat vel eligat per aliquam libram vel instrumentum, quod Zegher dicitur, vel instrumentum aliud qualecunque, statuentes quod quicumque comprehenderit talia committentem, deprehendens quartam partem tollit excessus illius et ciuitas, in qua deprehensus fuerit, quartam partem et nos mediam partem nostris vsibus referuamus. Nullus etiam dictis nostris monetariis varam inferre presumat sine nostro consensu certo et expresse.

Nach dem Copialbuche der Vogtei Arneburg No. V, I. C. 4a. des Geh. Staats- und Kab.-Archives. In dem Copialbuche folgt hierauf unter No. VI. und unter der Ueberschrift Eorundem annorum collatio facta aliis personis infrascriptis die Notiz: Eodem die et loco. Contulimus Ar. et Jord. fratribus dictis Vleismanger (sic), nec non Cunrado hyden, ciuibus in Stendal, eadem bona supra notata.